

S. Thomas dicit pertinere ad integritatem locutionis, deinde ad substantiam formæ ex ejus verbis restringitur ad substantiam pro integritate, non pro essentiali ratione; licet non negemus aliquando uti nomine substantiæ pro essentia, sed hic explicat se. Secundo, quia dicit D. Thomas: « Perfici conversionem sanguinis illis verbis: Hic est calix sanguinis mei, eo modo quo dictum est in consecratione panis. » Dixerat autem articulo præcedenti quod forma consecrationis panis per quam sacramentaliter fit ista conversio est illa: Hoc est corpus meum, ergo si eodem modo dicitur perfi conversionem sanguinis illis verbis: Hic est sanguis meus, manifestum est quod intelligit illa solum essentialia esse, quia illa solum essentialia sunt, quibus perficitur conversio, et fit Sacramentum. Si autem alia verba præter illa essentialia essent, ante eorum prolationem non posset fieri conversio; si enim posset, ergo illis non prolatis staret dari conversionem, et consequenter Sacramentum, quia non stat conversum esse sanguinem, et non dari Sacramentum, etiamsi reliqua totaliter quis omitteret, aut impediretur proferre.

Quare negandum non est posse aliquid pertinere ad integritatem formæ, et non ad essentialem rationem, quod variis exemplis Thomistæ explicant v. g. in Sacramento pœnitentiæ satisfactio pertinet ad substantialem partem Sacramenti non ad essentialem, et confessio venialium simul cum aliquo mortali ad integritatem pertinet, non ad essentialiam confessionis. Et in forma absolutionis si dicatur: Ego absolvo te a peccatis tuis, ly ego, et ly a peccatis concurrunt integraliter ad formam, non essentialiter, quia sine illis perfi posset. Nec obstat responsio patris Vasquez ubi supra capite

rv quod in Sacramento pœnitentiæ, satisfactio ordinatur ad aliquid distinctum. nempe ad ablationem pœnæ, et ideo est pars integralis quæ dictum effectum habet præter gratiam; ex his autem effectibus integratur totum Sacramentum. In forma autem illa, pronomen ego, et a peccatis tuis, licet non exprimantur, sufficienter subintelliguntur, unde æque bene efficiunt prolata atque non prolata, sed subintellecta. Illa autem verba: Qui pro vobis effundetur, etc. non subintelliguntur, nisi proferantur, et ita vel debent esse essentialia, vel accidentalia, et non integrantia.

Sed respondetur facile, quod in primis licet satisfactio solam respiceret pœnæ ablationem, et nullo modo gratiam, etiam ut pars Sacramenti est, adhuc currit ratio posita, quia respectu ipsius ablationis pœnæ non concurrunt sola satisfactio, sed etiam contritio, et confessio, quæ et tollunt pœnam æternam, et aliquid de temporali, et tanta potest esse contritio, quod totam tollat, et tamen ad ablationem istius pœnæ non concurrunt satisfactio sacramentalis, ut pars essentialis, et sine qua non possit subsistere Sacramentum, ergo bene stat quod in Sacramentis respectu ejusdem effectus possit dari pars integralis substantialis, et non essentialis, ergo similiter in forma calicis aliqua verba possunt se habere, ut pars integralis, et non ut essentialis. Quod vero dicitur de illa particula a peccatis, respondetur quod ex vi significationis non subintelligitur, sed ex materia circa quam cadit, et circumstantiis quibus profertur, nam ex vi verbi absolvo, indifferenter se habet ad absolvendum a peccatis, vel a censuris, etc. Et tamen concurrunt integraliter ad effectum absolutionis, licet non essentialiter. Similiter etiam illa verba: Qui pro vobis

effundetur, etc. subintelligi possunt ex circumstantia, et materia circa quam proferuntur, scilicet circa consecrationem sanguinis seorsum a corpore, etiam si sola illa dicantur: Hic est calix sanguinis mei, licet ex vi significationis nisi exprimantur non subintelligantur. Ergo pari modo se habet sicut ly a peccatis in forma absolutionis. Et sic nihil inconueniens habet sententia D. Thomæ quod pertineant illa verba ad substantiam formæ calicis integraliter non essentialiter.

Septima propositio: In Christo non fuerunt habitus per accidens infusi. Loquendo de habitibus scientiæ ordinis naturalis, et experimentalis, nullum inconueniens est quod in Christo non fuerunt per accidens infusi, sed propriis actibus acquisiti, ut docet S. Thomas, III p. quæst. x, art. iv, retractans quod docuerat in III distinct. xiv. Loquendo autem de virtutibus moralibus acquisitis, D. Thomas non negavit fuisse per accidens infusas. De quo ibi agitur Deo dante.

DE ALIIS PROPOSITIONIBUS.

Circa propositiones, quæ restant ex Dermicio Thaddæo, prima est: Quod existens in peccato mortali peccat, si ex officio corripit delinquentem. Respondetur quod Div. Thomas in IV distinct. xix, quæst. II, docet quod peccator qui ex officio corrigit delinquentes peccat, quia indigne utitur officio, tamen in 2-2, quæst. xxxiii, art. v, sic ultimo decernit: « Si peccator corripit cum humilitate delinquentem non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit, licet per hoc in conscientia sua, vel saltem fratris condemnabilem se ostendat. » Et quæst. lx, art. II ad III: « Si pec-

cata, inquit, non sunt publica sed occulta, et necessitas judicandi imminet propter officium, potest cum timore, et humilitate arguere, vel judicare, » idque probat ex Augustino. Ergo standum est huic ultimæ determinationi Div. Thomæ nec est quod illi objiciatur. Videatur Petrus Bergomensis in concordantiis, dub. cxxxvii.

Secunda propositio: In homine est tantum una forma. Est expressa Div. Thomæ et communis inter auctores, et a nobis probata in libro de anima, quæstione I. Et illud de identitate corporis Christi solvitur a Div. Thoma III par. quæstio. L, artic. v, quod est idem corpus numero propter identitatem suppositi non naturæ. Reliquiæ autem sanctorum non sunt ejusdem speciei cum ossibus, vel carne viva, quia ut dicit philosophus II de anima, text. ix, et VII, met. text. xxxv, oculus, vel caro mortui æquivoce est oculus, vel caro, per mortem enim corrumpitur caro vera, et fit aliud in specie, non potest autem fieri aliud in specie amittendo differentiam animalis, vel viventis, quam certum est amittere si quidem moritur, nisi amittat etiam gradum genericum corporis et substantiæ, quia mutato gradu specifico, non potest genericus manere idem qui antea erat, quælibet enim species contrahit genus, et multiplicat, atque adeo distinctum reddit gradum genericum in se quam erat in alia specie. Ergo gradus genericus corporis, qui erat in specie viventis, vel animalis, eo mortuo, removetur, et aliud corpus est in specie de novo producta, ergo non remanet forma eadem corporis, quæ antea erat, si quidem ad hoc solum posset remanere, ut daret idem esset corporis. Nec obstat quod videtur manere, idem corpus in mortuo, in vivo cum eisdem accidentibus. Hoc enim est pingui fibra

judicare de veritatibus philosophicis solum ex cortice sensuum. Nam si remanet eadem forma corporis in animali, et in cadavere mortuo, etiam remanebit eadem forma corporis cum ex cadavere fit ignis, vel terra, aut sanguis, nec enim est major ratio in uno quam in alio, et sic nihil speciale adducitur in argumento de ossibus, et reliquiis sanctorum, sed idem dicere possunt de omni corpore in quod fit transmutatio. quod remanet eadem forma corporis in omnibus, quod satis absurdum est. Dicitur tamen illa caro, vel corpus pertinere ad talem sanctum, quia manet eadem materia prima, et habet ordinem ad resurrectionem faciendam in eodem corpore cum eadem anima, ut dicit S. Thomas III par. quæst. I, art. II ad II.

Tertia: Quod in canonizatione sanctorum pie creditur quod Ecclesia errare non possit, respondetur hoc esse valde probabile, et commune (licet alii teneant esse omnino certum, ita ut oppositum sit hæresis) et hanc opinionem tenent Bagnez 2-2, quæstion. I, artic. X, in commentariis brevioribus, dub. VII; Torres 2-2, disput. XVI, dub. III; Pegna I p. directorii, quæstion. XVII, in fine; Cano, lib. V, de locis, capit. V; Covarruv, libro primo variarum, capit. X, numero XIII; S. Antoninus, I part. tit. XII, capite VIII; Turrecremanta, in tractatu de Ecclesia, capite LI; Silvester, verbo canonizatio, aliique plures. De hoc autem agemus 2-2, tractatu de potestate Papæ.

Quarta: Quod non potest aliquid misceri calici consecrato. De hac quæstione aliud est tractare quid liceat vel expediat, aliud quid sequatur ex tali mixtione, an scilicet species corrumpantur facta mixtione, vel non. De hoc secundo agit S. Thomas, III p. quæstione LXXVII, artic. VIII, et quolib. X, artic. III et in IV

distinct. XII, quæst. I, artic. II, quæst. VI, et resolvit quod ad commixtionem alterius liquoris corrumpuntur species, vel in totum, si totum perfundatur, vel in partem, si pars. Cæterum an hoc liceat, vel non liceat, ibi non tractat, nec video quid contra praxim Græcorum statuat D. Thomas.

ARTICULUS V.

Quæ ad veram intelligentiam, et discipulatum D. Thomæ conducunt?

Eam sibi apud omnes fideles auctoritatem, et amorem D. Thomas conciliavit, ut fere nullus sit, qui ejus nomen, sanctitatem, doctrinamque non admiretur, discipulatumque non ambiat. Quibus certe verba Urbani V, in sæpe citata epistola ad Tolosanos proponenda sunt; ut ex eis facile discerni possit quantum et ad quid veri Div. Thomæ discipuli in ejus defendenda, et sequenda doctrina teneantur. « Tenore præsentium, inquit Pontifex, vobis injungimus, ut ipsam Div. Thomæ doctrinam tamquam veridicam, et catholicam sectemini, ipsamque totis viribus ampliare studeatis. » Duo ergo conditiones sunt (ad quas cæteræ reducuntur) quæ verum S. Thomæ discipulum constituunt. Prima, sectari ejus doctrinam ut veridicam et catholicam. Secunda, eam totis viribus ampliare. In neutra conditione exigit Pontifex ut eam, aut plene intelligamus, aut in nullo ab ea discedamus, hoc enim non est conditio discipulatus, sed finis, ad hoc enim tendimus per hujus doctrinæ disciplinam, ut ad ejus veram intelligentiam perveniamus. Verum tamen hoc ex munere potius Dei habetur, quam ex conditionibus discipulatus. Nam et Ecclesia hoc orat a Deo, ut det nobis ea, quæ Div. Thomas docuit intellectu conspi-

cere. Non ergo desinit verus esse Thomista, qui non in omnibus de facto assequitur mentem doctoris sancti eumque intelligit. Nam et propriæ mentis infirmitas, et doctrinæ profunditas non semper id patitur. Sed tamen qui Thomisticum nomen profitetur, saltem illa duo observare debet, scilicet sectari doctrinam ejus, et ampliare, aut in amplificationem totis viribus incumbere.

Sed quia in hoc ipso stare potest difficultas quia multi possunt sibi persuadere, et intelligere, quod sectantur, et ampliant doctrinam D. Thomæ, alii e contra sibi persuadent se potius melius illum intelligere, et explicare, et consequenter ampliare, atque ita de intelligentia dissensio sit, et contradictio; unde ergo judicari poterit, quis verius, et proprius Div. Thomæ sectator sit? Præsertim cum in multis locis D. Thomæ doctrina varias suscipiat intelligentias, in aliis vero nondum disputationibus, ita sit eventilita, ut possit ad vivum mens ejus penetrari, aut non impune deseriri, sicut et a multis etiam Thomistis deseritur. Ad hoc ergo dignoscendum nonnullis possumus indiciis uti, quibus conditiones veri et proprii discipulatus s. doctoris manifestari poterunt, et discerni.

Primum sit, ubi evidens et clara ratio manifestat, quæ sit mens D. Thomæ ut illam sectemur, aut evidens impugnatio qua ea rejicitur, optimum signum intelligentiæ Div. Thomæ et discipulatus ejus est, continuatio, et adhæsiō ad illos, qui per successionem temporum discipuli ejus habiti sunt, ejusque doctrinæ adhæserunt. In discernendis enim generibus, et familiis, maximum locum et vim probationis habet continuata successio. Unde si a tam multis annis, et ab ipso D. Thomæ tempore discipuli ejus habiti sunt, qui sic illum intellexerunt, et secuti

sunt vestigia ejus, sicut Hervæus, Carpeolus, Cajetanus, Ferrariensis Victoria, Soto, Flandria, et alii similes, ergo potius habendi sunt ut discipuli D. Thomæ ac veri Thomistæ qui sub istorum linea, et successione militant D. Thomæ quam qui hos impugnando, aut emendando, aliam intelligentiam se invenire gloriantur. Certe ut recte observavit Tertullianus, non alio modo præscribitur a catholicis contra hæreticos circa legitimam Scripturæ intelligentiam, quam ostendendo in nobis continuatam successionem vera traditione fidei, et cum Ecclesiis ab Apostolis fundatis. « Omne enim genus, inquit Tertullianus, libro de præscriptionibus, c. XIX, ad suam originem censi necesse est. » Et inde probat illas esse habendas legitimas Scripturas, et non adulteratas, quæ successionem Ecclesiarum per manus devenerunt ad nos: « Ut proinde, inquit, c. XXI, constet omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus, et originalibus fidei conspirat, veritati deputandum. » Sic ergo ex origine maxime, census esse Thomistarum constat, ibi enim potius veram, et non adulteratam ejus intelligentiam esse dicemus, ibique verum Thomistarum nomen censi, qui a tempore D. Thomæ per successionem, semper ut ejus legitimi discipuli habiti sunt; et ita qui eidem successioni nunc aggregantur, et sub ea militant, inter D. Thomæ discipulos non immerito censi sunt. Qui vero inde exorbitant, aut intelligentiam illam sic communiter per tot annorum successionem receptam convellere nituntur extra censum istum, et genus sunt.

Dices: Illi qui intra talem successionem discipuli D. Thomæ censi sunt, aliquando ipsum deserunt, ergo et nunc licebit veris ejus discipulis aliquando ipsi non adhærere,